

## De zielsverhuizing (Verg. Aen. VI, 713-755)

Tum pater Anchīsēs: ‘Animae, quibus altera fātō  
corpora dēbentur, Lēthaei ad flūminis undam  
sēcūrōs laticēs et longa oblīvia pōtant. 715  
Hās equidem memorāre tibi atque ostendere cōram  
iamprīdem, hanc prōlem cupio ēnumerāre meōrum,  
quō magis Italiā mēcūm laetēre repertā.’  
‘Ō pater, ane aliquās ad caelum hinc ire putandum est  
sublīmīs animās iterumque ad tarda revertī 720  
corpora? Quae lūcis miserīs tam dīra cupīdō?’  
‘Dicam equidem nec tē suspēsum, nāte, tenēbō’  
suscipit Anchīsēs atque ōrdine singula pandit.  
‘Prīncipiō caelum ac terrās campōsque liquētīs  
lūcentemque globum lūnae Tītāniaque astra 725  
spīritus intus alit, tōtamque īnfūsa per artūs  
mēns agitat mōlem et māgnō sē corpore miscet.  
Inde hominum pecudumque genus vītaeque volantum  
et quae marmoreō fert mōnstra sub aequore pontus.  
Īgneus est ollīs vigor et caelestis orīgō 730  
sēminibus, quantum nōn noxia corpora tardant  
terrēnīque hebetant artūs moribundaque membra.  
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque aurās  
dispiciunt clausae tenebrīs et carcere caecō.  
Quīn et suprēmō cum lūmine vīta relīquit, 735  
nōn tamen omne malum miserīs nec funditus omnēs  
corporeae excēdunt pestēs, penitusque necesse est  
multa diū concrēta modīs inolēscere mīrīs.  
Ergo exercentur poenīs veterumque malōrum  
supplicia expendunt: aliae panduntur inānēs 740  
suspēnsae ad ventōs, aliīs sub gurgite vāstō  
īnfectum ēluitur scelus aut exūritur īgnī:  
quisque suōs patimur mānīs. Exinde per amplum  
mittimur Ēlysium et paucī laeta arva tenēmus,  
dōnec longa diēs perfectō temporis orbe 745  
concrētā exēmit lābem, pūrumque relinquit  
aetherium sēnsū atque aurā simplicis īgnem.  
Hās omnīs, ubi mīlle rotam volvēre per annōs,  
Lēthaeum ad fluvium deus ēvocat agmine māgnō,  
scīlicet immemorēs supera ut convexa revīsant 750  
rūrsus, et incipiant in corpora velle revertī.’  
Dīxerat Anchīsēs nātumque ūnāque Sibyllam  
conventūs trahit in mediōs turbamque sonantem,  
et tumulum capit unde omnīs longo ōrdine posset  
adversōs legere et venientum discere vultūs. 755